

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

EVANGELIUM LUCÆ VIII.

In illo tempore : Cum turba plurima conveniret, et de civitatibus properaret ad Jesum, dixit per similitudinem. Exiit qui seminat, seminare semen suum. Et dum seminat, aliud cecidit secus viam, et conculcatum est, et volucres cœli comederunt illud. Et aliud cecidit supra petram; et natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas, et simul exortæ spinæ suffocaverunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, et ortum, fecit fructum centuplum. Hæc dicens, clamabat : Qui habet aures audiendi, audiat. Interrogabant autem eum discipuli ejus, quæ esset hæc parabola? Quibus ipse dixit : Vobis datum est nosse mysterium regni Dei : cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant. Est autem hæc parabola : Semen est verbum Dei. Qui autem secus viam, hi sunt, qui audiunt : deinde venit diabolus et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. Nam qui supra petram, hi sunt, qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum : et hi radices non habent, quia ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, et a sollicitudinibus et divitiis, et voluptatibus vitæ euntes suffocantur, et non referunt fructum. Quod autem in bonam terram : hi sunt, qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia.

CONCIONES.

- I. *Triplex terra sterilis.*
- II. *Divitiæ cur spinæ.*
- III. *Effectus et signa obdurationis.*
- IV. *Quemlibet suo statu contentum esse debere.*
- V. *Modus audiendi verbum Dei.*
- VI. *Quinam malo fine audiant Dei verbum,*
- VII. *Quare Christus clamaverit : Qui habet aures audiendi, audiat.*
- VIII. *Patientia suadet in adversis.*
- IX. *Documenta.*

X. *Mysteria.*

CONCIONES AUCTARII.

- I. *Quando, et qua ratione dæmones comedant semen verbi Dei.*
- II. *Qui conculcent verbum Dei.*
- III. *Comparantur inter se status virginum, viduarum, et conjugatorum.*
- IV. *Procrastinatio penitentiae pessima corvi vox.*
- V. *Alearum et chartifoliorum ludi periculosi.*

CONCIO I.

TRIPLEX TERRA STERILIS.

- I. Terra secus viam : 1. Qui terrenis implicati. 2. Qui contemnunt. 3. Qui mox obliviscuntur. — II. Terra petrosa : 1. Duri et obstinati. 2. Qui uni certo vitio nimis adhærent. 3. Inconstantes. — III. Terra spinosa : 1. Qui sollicitudinibus obruti. 2. Qui divitiis onusti. 3. Qui voluptatibus dediti.

THEMA.

Aliud cecidit secus viam et conculcatum est, etc.
Luc. VIII.

Magnus concionator Jeremias, capit. XXII. novo concionandi genere a populo deflectit et terræ verba fecit : *Terra, terra, terra, audi sermonem Domini*, nimirum viderat auditores suos vel ad concionem surdos esse, unde terræ concionatur; vel vidit eos terrenos et terræ addictos esse, unde terram eos appellat; vel vidit esse superbos, qui nescirent se esse terram et in terram ituros. Mihi etiam videtur respexisse ad hodiernam parabolam, in qua triplex terra est, quæ sermonem Domini non audiit, sicut debuit; nimirum terra secus viam, terra spinosa, terra petrosa. Quæ proinde illis prophetæ verbis excitanda mihi videbatur, si forte se expanderet ad semen recipiendum.

I. Terra secus viam sunt, primo, hi quorum cor est quasi via publica omnibus trita et perpetuis tumultibus agitata : qui omnibus negotiis implicantur, omnium amici sunt, nunquam se ad cor suum recipiunt vel colligunt. In via publica alii ambulant, alii equitant, alii vehuntur, alii dormiunt, alii clamant, alii jubulant, alii mendicant, etc. Idem fit in multorum cordibus, in quibus utique verbum Dei nequit fructificare, quia conculcatur ab innumeris cogitationibus mentem avocantibus et ad alia distrahentibus, accedunt aves diabolicæ quæ modo somnum conciliant auditoribus, modo strepitum excitant, modo aliorum garritus, infantium ploratus, canum latratus, modo curas abjiciunt domesticas. Ita fit ut verbum Dei, bona proposita, et omnium virtutum sementis opprimatur. Simile est horum cor hospitio publico, omnibus pervio et patulo; ubi ob perpetuos clamores, cantilenas, ludos, choreas, egressus et ingressus vix alter alterum intelligit, et frustra ibi verba faceret, qui concionari vellet. Quare sicut seduli agricolæ, agrorum fines, qua attingunt vias publicas, spinis sepiunt, ne conculcentur a transeuntibus et a via lutosa ad agrum divertentibus : ita vi-

derit unusquisque, ut sepiat cor suum spinis, segregando et subducendo se a tumultibus sæculi, aut saltem obfirmando animum firmissimis propositis non attendendi ad ea, quæ ad ipsum non pertinent.

Secundo, qui contemnunt, rident, negligunt adeoque conculcant verbum Dei, dum sub pedibus ponunt, et pro nihilo habent; sive quia ipsum Dei verbum utpote sibi adversum, sive quia ejus præconem oderunt. Inde conqueruntur de sermonis prolixitate, subtilitate, siccitate et obscuritate : interpretantur sinistre linguam, clamores, increpationes concionatorum, etc. Tales Pharisei, qui deridebant Christum sermocinantem, quia erant avari, Luc. XVI. Qua de re Job. capit. XII. dicitur : *Lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum*, q. d. oderunt divites verbum Dei sicut papiliones lucernarum lumen, quod extinguere ad volando conantur velut sibi inimicum; sed arguentur ab hoc lumine in ipso die judicii. Sic Joan. XII. ait Dominus : *Qui spernit me et non accipit verba mea, habet qui judicet eum in novissimo die*. Itaque quod tu abjicis, contemnis et conculcas, reservabitur ad judicium ut te condemnet. Ac si nemo alius foret, qui id reservaret, diabolus foret. Is enim velut avis colligit et devorat semen verbi Dei neglectum, tum quia inde gaudet, roboratur et pasitur, cum te illo destitutum videt; tum quia sedulo asservat, et conservat in memoria, ut suo tempore deponat ad te accusandum. Legimus certe in vita Sancti Odonis abbatis, apud Surium, tom. VI. 18. novemb. monachum quemdam Gigniacensis monasterii, cæteroqui valde bonum et omnibus charum, morte instante sæpius territum a dæmone, ostendente et objectante ei tanquam grande piaculum sacculum plenum micis, quas monachus ille in mensa neglexerat et in terram cadere permiserat. Quo exemplo fratres cæteri eruditi inceperunt quam diligentissime colligere et absumere micæ panum e mensa, uti imprimis ipse S. Odo nondum abbas, qui cum eas aliquando abrupta mensa impeditus absumere non posset, collectas, in manum abbati suo exhibuit, quæ mox in uniones versæ sunt, ut ibid. habetur. Jam vero quanto nobilius est verbum Dei pane corporali, tanto impensius laborandum ne ut negligatur et in terram cadat; colliget enim dæmon omnes ejus micæ seu verba, et proferet in judicio contra ejusmodi contemptores.

Qui auditum mox obliviscuntur, quia serio non apprehendunt velut rem sibi apprime utilem et necessariam. Qui rem aliquam cordi habet et magni æstimat, firmiter memoriæ imprimit, vel ob oculos sibi statuit certo aliquo signo, ne ejus

obliviscatur. Pauci verbum Dei tam sedulo asser-
vant juxta exemplum Deiparæ, quæ *conservabat
omnia verba* (sancta) *hæc conferens in corde suo*.
Luc. II. Plurimi id supra caput ponunt, quemad-
modum ille Pharaonis pistor, qui videbatur sibi
in somnio gestare supra caput panes regios, e
quibus comederent aves, pessimo auspicio; signi-
ficabat enim hoc fore ipsum corvorum pabulum,
sicut eventus docuit. Et contra regis pincerna, qui
vitem coram se vidit, felix somnium habuit, quia
pristinæ dignitati restitutus est, Gen. XL. Itaque
qui verbum Dei videt coram se, hoc est, statuit
ante faciem suam, ut id recordetur effectui man-
dandum, bene de se ominetur et cœlestem speret
aulam. Qui vero id supra caput ponit, et ab oculis
mox removet atque obliviscitur, adeoque diabo-
licis avibus diripiendum reliquit, caveat fieri præda
corvorum infernalium. Unde S. Jacobus, c. I. episto-
læ suæ inquit: *Non auditor obliviosus factus,
sed factor operis, hic beatus in facto suo erit*. Con-
tra ibid. eum, qui se intuitus est in speculo, et abiit
et statim oblitus est qualis fuerit; quia videlicet
obiter tantum se inspexit, nec animo se expurgandi
a maculis, sed ex curiositate. Simili modo, quia,
concionem plerique obiter et ex curiositate tan-
tum audiunt. Hinc fit, ut quæ audiverunt, statim
obliviscantur. Lupi cervarii dum insistent prædæ,
se respiciant, statim obliviscuntur prædæ oblata
et quærunt aliam, teste Solino, in polyhist. c. XVIII.
et Plinio, lib. VIII. cap. XXII. Plurimi ejusmodi
lupi sunt, qui sub ipsa concione, dum alio mentem
flectunt vel oculos, statim obliviscuntur cibi spi-
ritualis sibi oblato, ita ut domi suæ ne verbum
quidem recensere familiæ suæ possint: pudenda et
perniciosissima negligentia!

II. Terra petrosa sunt. Primo, duri et obstinati,
qui vel omnino nullis moventur et admonitionibus,
et ocludunt eis aures, vel ut aspides et reguli,
quibus non est incantatio: vel si aliquatenus mo-
ventur, externe tantum et sensualiter moventur,
non interne, et in corde, quod obstinatum manet;
similes lapi libus, qui ex pluvia quidem mades-
cunt foris, intus tamen suam retinent duritiem et
siccitatem. Videre est non paucos, qui sæpe com-
moventur, cum audiunt concionatores, vel alios
loquentes de rebus divinis, de peccatorum gravi-
tate, de novissimis, etc. ingemiscunt enim et
quandoque lacrymas fundunt, sed interim cor in
peccatis suis obstinatum retinent. Talis fuit Saul,
qui semel et iterum agnoscens virtutem Davidis
et suam iniquitatem: *Levavit vocem suam et fle-
vit, dicens ei: Justior tu, quam ego*, interim ta-
men odium in Davidem non deposuit, I. Reg. XXIV.
Similiter Balaam videns Hebræorum populum Deo

dilectum ab eoque benedictum prorupit quidem
in votum pietatis: *Moriatur anima mea morte
justorum et flant novissima mea horum similia*.
Num. XXIII. interim tamen perstitit in sua perti-
nacia et perversitate. Quin etiam ipse Pharaon visus
est aliquoties ad Moysis increpationem commo-
veri et spondere obedientiam; sed in corde mini-
me mutatus, et sibi semper similis fuit, quia in-
duratus et lapideus: unde etiam merito descendit
in profundum sicut lapis, ut dicitur Exodi XV.
Quemadmodum enim gravitas et descensus ad
ima naturaliter consequitur duritiem: ita etiam
descensus ad infernum sequitur necessarie cor-
dis pertinaciam.

Secundo, qui cætera quidem molles et parati
sunt accipere semen, unicum tantum aut alterum
lapidem in corde gerunt, quem eximi sibi
nolunt. Ubi enim verbum Dei ad lapidem illum
venit, eumque movere incipit, resiliunt, aut re-
sistent, veluti Herodes, qui in cæteris quidem
omnibus libenter audiebat Joannem Baptistam,
eoque audito multa faciebat; at ubi urgebatur
ad amovendum e domo sua lapidem offensionis,
uxorem fratris sui, resiliit et misit eum in car-
cerem. Marc. VI. Herodias nimirum lapis ejus
fuit. Multi reges Judæorum commendantur in
ss. litteris de variis virtutibus; sed ob unum
tantum lapidem reprehenduntur pene omnes,
quia scilicet cultum idololatriæ in lucis non
abstulerunt. Notantur enim hac clausula: *Ve-
rumtamen excelsa non abstulit*, III, et IV. Reg.
Sed non est contentus Deus corde dimidiato, to-
tum vult possidere, totum vult sibi cedere, quia
non super aliqua tantum, sed super omnia vult
diligere.

Tertio, qui in bono inconstantes sunt; bene
quidem incipiunt, sed cum tentatio ingruit, de-
ficiunt et velut in æstu exarescunt, quia carent
humore terreo, qui in petra non invenitur. Quam-
diu res succedit bene, quamdiu non tanguntur,
faciunt quæ jubentur, sed adversa tolerare nes-
ciunt: in his quæ sunt facilia Deo obsequuntur,
in difficilibus resiliunt; in plano itinere gradiun-
tur, in petroso et montoso sistunt. Ratio est,
quia in humore charitatis Dei fundati non sunt,
sed in amore potius sui: unde fit, ut cessante
emolumento, cessent ab officio suo. Ita filii Is-
rael, cum júbilo et jucunditate transierunt ma-
re rubrum, quasi per campum germinantem,
ut ait Sapiens, c. XIX. et exponit Jansenius, at
ubi cœperunt penuria laborare, aquæ, panis, car-
nium, continuo murmurarunt et regredi in Æ-
gyptum voluerunt; unde de illis dicitur Psal.
LXXVII. *Filii Ephrem, id est, Israelitæ, intendentes
et mittentes arcum, conversi sunt in die belli*, q. d.

promiserunt se Deo parituros, et facturos quæ-
cumque ille mandasset: sed statim mutata vo-
luntate cogitabant de reditu in Ægyptum et con-
tra Deum et Moysen murmurabant, inquit ibi
card. Bellarm. Quis non jurasset Balaamum ad
veri Dei cultum et obsequium traducendum,
qui initio ejus imperio tam strenue obsecutus
est, ut populum Dei summis laudibus extolleret,
nec ullis auri muneribus adduci posset, ut con-
tra Dei monitum populo malediceret? Et tamen
ad extremum victus, avaritia rediit ad ingenium
suum, et pessimo consilio subvertit Israelitas.
Nimirum humorem charitatis divinæ pro fun-
damento non habuit, sed timorem tantum ser-
vilem, ex quo a Deo serio monitus et postea an-
geli gladio territus fuit ne malediceret Israeli.
Similes Israelitis et Balaamo sunt quam plurimi,
qui in paschate abjurant peccata, et cum gau-
dio transeunt mare pœnitentiæ; at vero paulo
post levi verbo irritantur, levicula occasione pec-
candi oblata, terga Deo vertunt et redeunt ad
peccata dimissa. Signum ergo est, eos in chari-
tate fundatos non fuisse, sed vel ex timore, vel
amore sui fecisse, quod fecerunt.

III. Terra spinosa sunt primo, qui nimis sol-
licitudinibus se onerant et opprimunt. Quemad-
modum enim curæ nimie impediunt hominem
ne crescat, dilatetur et pinguescat; similiter et
plantæ seu arbusta juxta arborem consita, im-
pediunt eam, ne in debitam magnitudinem ex-
crescat: ita curæ et sollicitudines animam im-
pediunt, ne crescat in pietate et virtutum stu-
dio; retrahunt eam a divinis cogitationibus et
exercitiis, distrahuntque ad extranea, vana, et
inutilia, quæ fervorem charitatis minuunt et
suffocant pietatem. Quo sensu possumus intel-
ligere verba illa Jacob ad Ruben dicta, Gen.
XLIX. *Effusus es sicut aqua: non crescas*, id
est, non cresces. Qui enim ad vilia quæque cu-
randa effundunt cor suum, velut aquam, hoc
est, frustra, et levissima de causa: non crescent
quoad spiritum. Ac propterea Martham turba-
tam circa plurima submonuit Dominus illa vocis
geminazione: *Martha, Martha, sollicita es, etc.* q.
d. vide quid agas, ne, dum in alia te effundis, in-
tus a devotione et gratia evacuaveris: laudavit
contra Magdalenam, quæ, relictis illis curis,
verbo divino intendit, et propterea in pietate
magis quam soror crevit. Vide quo devenit
Salomon, dum in externa negotia nimium se ef-
fudit ad extruenda palatia, hortos, vineas, pisci-
nas, etc. eo videlicet ut Dei oblivisceretur, ab
eoque averteretur. Bene enim S. Chrysostomus, l.
VI. de sacerdotio, ait: *Sollicitudines assidue men-*

*tis acumen hebetant: eumque, qui animo volucris
et pernice sit, plumbo graviorem reddunt.*

Secundo, qui divitiis onusti sunt. Divitiæ enim
et prosperitas hominem a Deo avocant, et amore
mundi implicant, deinde in superbiam extol-
lunt; ut aliis omnibus posthabitis mammonam
tantum colat et adoret, quasi omnipotentem
Deum; (quid enim non cedit pecuniæ?) denique
mille se curis et anxietatibus involvunt. Hinc
verbum Dei in divitiis raro fructum facit, quia
vel contemnitur vel opprimitur. Exemplo est
ille juvenis, Matth. XIX. qui vocatus a Christo
ad culmen perfectionis apostolicæ, pedem retu-
lit, abiitque tristis, quia nimirum multas habe-
bat possessiones. Ingratum est communiter, imo
odiosum divitiis Dei verbum, et repellitur ab
iis, velut cum ignis involvit spinas, quæ dum
igni resistunt, magnos edunt strepitus, juxta Ps.
CXVII. *Excarserunt sicut ignis in spinis*. Ignis
est verbum Dei, Jer. XXIII. *Numquid non verba
mea quasi ignis? etc.* Spinæ sunt divitiæ. Unde
videas plures divites, qui calumniantur, rident
et explodunt conciones, quibus ipsi taxantur,
quam qui commendant.

Tertio, qui voluptatibus dediti. Deliciæ enim et
voluptates, cum vehementer afficiant sensum,
hominem quasi absorbent, sopiunt et inebriant,
ut præter voluptatem nil aliud cogitare possit:
suffocant ergo sementem. Vix aliquem invenias
tam virtute præditum, qui inter voluptates non
emolliatur et enervetur paulatim. Ipsæ enim Si-
renes sunt, quæ nautas, quos cantus suavitate
attraxissent, primo in somnum dare, deinde
aquis intingere, denique devorare solitæ tradun-
tur. Perverterunt certe et devorarunt sapientis-
simum Salomonem qui alioquin initio optimæ
indolis et sub optimo magistro, Natham propheta,
optime institutus fuerat, ita ut ab eo cognomi-
naretur: *Amabilis Domino*, II. Reg. XII. Audia-
mus Salomonem ipsum de se loquentem, Sap. VIII.
*Puer eram ingeniosus, inquit, et sortitus sum
animam bonam*. Et tamen optimæ complexionis
et institutionis adolescentem voluptates enerva-
runt, et transversum egerunt.

Superest nunc ut videat unusquisque, qualis
ipse terra sit; et siquidem ex his sterilibus
est, studeat se corrigere ut fiat terra bona. Nemo
nostrum agrum sterilem vult habere, vel si ta-
lem habet, laborat eum stercoreare et fertilem
reddere. Cur ergo animas nostras patiamur esse
steriles? etc.